Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Et sic demum compellimur corporis proprii subire naufra-
gia, sed quamvis in tanta simus audacter et imprudenter
tempestatis unda propulsi, de novo tamen amorem non
possumus cogitare nec alium libelli tui atque rem mod

De puro et communi amore

Sed tu diligens indagator inveniaris ad-
versus non sine causa forsan quaerere posses
an purum amorem cum una possit muliere servare
et cum altera retinere communem. Et irrefragabili tibi
auctoritate monstrabimus neminem posse duabus mulie-
ribus taliter cordis affectione constringi. Licet enim
purus et mixtus videantur diversi amores, recte
tamen intuentibus purus amor quoad suam substantiam idem
cum mixto iudicatur amore, et ipse ex eadem animi af-
fectione procedit. Eadem est enim in illo substantia, sed varius
est modus atque respectus amandi, ut in exemplo
tibi potest liquere praesenti. Nam ubi aliquis primitus purum
bibendi vinum, postmodum vero aquam solam vel
mixtum cum ea vinum sumpserit appetitus, quamvis huic
sit variatus appetendi respectus, eius tamen appetitus
substantia eadem invariata consistit. Sic etiam ubi aliquis
diu fuerit puro corde coniuncta, post vero mixto se
placet amore gaudere, eadem in istis substantia perdurat
amoris, licet modus et forma atque respectus sit
variatus amandi.

Questio

Sed quaeris forte an sit repellenda mulier
quae violenter attracta alterius se volupta-
ti commiserit. Dicamus quod quod nemini iusta
ratione potest imputari quod violenta coactione co-